

& *Hunnium* in Comm. ad Matth. XVII. qui gustum regni Dei seu vitæ æternæ, discipulis in monte Tabor concessum, de sensu gaudii electorum aut prægustu gaudii cœlestis exponunt: ad quem, tenuem licet Petrus cunctorum oblitus fuerit, quæ in hoc mundo cara habuerat, & mansionem in monte facere, ibique nunquam non commorari gestierit. Conf. B. Chemn. in Harm. c. LXXXVII. p. m. 1675. B. Gerhardus Comm. in Matth. p. m. 752. adducit locum Augustini in Soliloq. Unam ille stillam dulcedinis gustavit, & omnem aliam fastidivit dulcedinem. Quid putas, dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis tuæ gustasset, quam abscondisti, o Deus! timentibus te. Conf. eund. Gerh. p. III. Homil. p. 1279. B. Feurborn. T. VII. Dispp. Gieß. Disp. XIII. §. 8. p. 187. & Disp. XVI. §. 216. p. 408. B. Meyfartum L. I. de cœl. Hieros. c. III. qui exempla talis prægustus vitæ æternæ producit martyres, inter exquisitissima tormenta doloresque corporis, summæ tamen hilaritatis signa exhibentes; *Laurentium, Vincentium, Job. Hussum.* Addatur *Lucas Pollio* Conc. II. de Vita æterna p. 47. b. seqq. ubi. scintillam gaudii a Spiritu S. martyrum animis infusam, prægustum aliquem vitæ æternæ illis fuisse dicit, cujus beneficio in medio tortorum confirmarentur, juxta dictum Prophetæ: *Consolationes tue latificabant animam meam: quam in rem etiam Augustinus in soliloque ad Deum dixerit: Tua dulcedo craticulum beato Laurentia dulcem fecit &c.*

LXVII, Neque vero inter Auctores hætenus memoratos sententiarum quædam discrepantia est: quamvis alii prægustum beatitudinis in cognitione, alii in amore, alii in spe, alii in gaudio spirituali, consistere dicant. Qui enim gustare idem dicunt ac cognoscere, non inficiantur, verum aliquando expresse monent, *Hebraismum* hunc esse, quo verba sensuum ponuntur, nec tamen subsequentes motus excluduntur. Ita Feurbornius l. c. ex Flacio. Et Dorscheus exponens locum Ebr. VI. verbum *sensus*, ait, non nudam sensationem, sed & motus annexos denotat. Qui autem gustum illum in casu recto de amore, spe aut gaudio exponunt, supponunt cognitionem intellectus circa objecta amoris, spei aut gaudii occupatam: cum voluntas non feratur in incognitum.

LXVIII.